

Alte Drucke

APOLOGIA || FRANCISCI || MONTANI PRO SOCIETATE || IESV IN GALLIA. || CONTRA ANTONII ARNALDI || Aduocati Parisiensis Philippicam. || Ex Gallico in ...

Richeome, Louis

Cracoviae, 1597

Caput XXVIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-154864

Sap. 6.

probus Iudicis solium, & sceleratus regalem thronum insideat, id eò fit, vt mortalibus palàm fiat, illos non esse Deum, cuius imaginem gerunt, nihilq; extra Deum stabile & omnis mutationis expers reperiri. Continentur etiam hac ratione tanquam freno intra officij & submissionis limites, dum se variis peccatis & casibus obnoxios clarè intelligūt. Quèadmodum porrò diuina bonitas liberaliter, vt sic dixerim, permittit, vt Iudices & Reges potestate accepta bene vel male vtantur: ita etiam iustè illos pro modo & conditione status sui, punit, & ad executionem decreti illius in Sapientia libro scripti, progreditur: *Potentes potenter tormenta patientur*, quando scilicet abusi fuerint ea potestate, quam Deus illis contulit ad suam gloriam, publicamq; salutem. Improbitas tamen & abusus non tollunt id, quod asserimus, videlicet in eiusmodi hominibus legitimè ad illam dignitatem euectis, Deum velut præsentem agnoscendum & colendū esse. Si igitur Reges, Iudices, & Magistratus, ob gubernationem, qua res politicas & caducas ad salutem Societatis humane moderantur, personam Dei sustinent & repræsentant; an tuo iudicio eandem non sustinebunt & repræsentabunt antistites, qui Religioni & ministerio altaris animarumque commodo procurando vacant, cum istæ actiones, multa cum diuinarum actionum præstantia communia habeant? Si ergo Deus in his tanquam in speculo quodam elucet; cur, obsecro, cum vbi est, præsentem non agnoscamus & veneremur? Nonne igitur insipiens & impius es, cum vocas mira & horrenda illa verba, quæ summæ religionis clarissima sunt indicia & testimonia?

CAPUT XXVIII.

*Superiori non esse obediendum, si quid mandet
contra legem Dei.*

Sed



SED obliis; si DEVS in Prælato præsens agnos-
 citur: obtemperare ergo oportebit Prælato, si homicidi-
 um imperet. Miserum te, & ignarum, vel potius
 Sophistam nefandum. Prælati, quâ tales, & vt
 patres spirituales, ius non habent mandandi talia, cum ex
 Canonum & Ecclesiasticarum sanctionum præscripto remo-
 tissimi esse debeant ab omnibus actionibus sanguinariis: &
 quamuis in Prælato Deus præsens agnoscatur, Prælatus ta-
 men non est Deus. Quare si quid contra legem diuinam
 præcipiat, subditus non tenetur hac in parte illi obedire. Nā
 cum tantum sit vices Dei gerens, mos illi minimè gerendus
 est; si quid contra Domini voluntatem iubeat. Hoc non
 ignorârunt Iesuitæ, tanquam omnibus Christianis cognitissi-
 mum: Nam hoc tantum illis præcipitur: *iudicium suum cum*
eo, quod superior vult & sentit, in omnibus rebus, vbi peccatum non
cerneretur omnino conformantes. Quæ exceptio desumpta est
 ex D. Bernando, quam, ipsorum primus fundator Ignatius
 inseruit epistolæ suæ de obedientia. S. Bernadus sic ait: *siue*
Deus, siue homo Vicarius Dei, mandatum quodcunq; tradiderit, pari
profecto obsequendum est cura, pari reuerentia deferendum: vbi ta-
men Deo contraria non præcipit homo; hoc enim casu non est illi
obediendum. Nam qui præcipit aut agit repugnantia vo-
 luntati sui Principis; is eatenus Vicarij dignitatem amittit, se-
 ipsumq; imperandi iure priuat. *Quia sicut qui privilegio abutitur,*
privilegio priuatur: ita qui potestate abutitur, potestatem amittit. Scri-
 ptura iubet obedire Magistratibus sæcularibus. *Qui potestati*
resistit, ordinationi Dei resistit: sed si flagitium præcipiat, nulla
illi hac quidem in parte debetur obedientia, vt S. Augusti-
nus doctè tradit. Si iubeat, inquit, potestas facere, quod non licet,
hic sanè contemne potestatem; ipsos humanarum legum gradus ad-
uertite: si aliquid iusserit Curator, nonne faciendum est? Tamen si
contrà Proconsul iubeat, non vtique contemnitis potestatem, sed eligis
maiori

Superiorib9 a-
 liquid cōtra le-
 gem Dei man-
 dantibus nō est
 obediendum.

Lib. de præcep.
 & dispen. c. 12.

25. q. 2. c. po-
 steaquam.

Rom. 13.

De verb. Dom.
 serm. 6. citat
 Gratian. C. Qui
 resistit. 11. q. 3.

1. Reg. 23.

maiori seruire: Si aliud Imperator, & aliud Deus; da veniam Imperator; tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc custodes & satellites Saulis cum mandatum accepissent, vt Sacerdotes interficerent, excusarunt se, quia hoc erat contra Deum. Hinc Christiani maluerunt quauis tormenta subire, & vitam cum sanguine profunderet, quam Idolis sacrificare, etiam si id illis ab Imperatoribus præciperetur. Hinc Machabæi grauissima potius perpeti supplicia præoptarunt, quam contra Dei legem vesci carnibus, sicuti iubebat Antiochus.

Mirandum fa-
ctis summi præ-
dis Parisiensis.

Hinc supremi Regni huius Senatores, maluerunt olim officio & Magistratu suo abire, quam iniusta Regis edicta suffragiis suis comprobare, vt accidit temporibus Regis Ludouici XI. quando præses Vaquerius stipatus plurimum Consiliariorum comitatu, purpuratusq; ad Regem se contulit, conquestum ob minas Curie intentatas, nisi calculo suo, confirmaret edicta quædam Regis: quin & suo & Collegarum suorum nomine disertè Regi exposuit, se potius deserturum conditionem & officium, quam iustitiæ defendendæ propositum. Quod tam præclarum, omniq; laude dignissimum facinus tu nunquam fecisses, si eo tempore fuisses talis Consiliarius, qualis nunc es Aduocatus. Risisses viros illos iustitiæ tam tenaces, egregiamq; ipsorum & honestissimam voluntatem calumniatus dixisses, quæcunque Regis imperata alacriter facienda esse, quidquid Papa Romanus aut Deus ex æthere contrà intonet vel fulminet. Ne vnus assis huiusmodi tonitrua & fulgura æstimari debere. Non ita illi, iuris & æqui lumina & firmamenta: non enim erant Arnaldi, & tamen vt huius rei exitum videas, Rex tanta constantia obstupescactus, collaudatâque immota animi firmitudine, nihil vltra tentandum putauit; sed edicta rescidit, regiaq; virtute ad famulorum suorum virtutem sese accomodauit. Tam hic igitur, quam illi, pro certo habuerunt obedi-

obedientiam non versari in rebus diuinæ legi contrariis. Eodem modo Iesuitarum obedientia, quam suo Generali Dei loco præstant, non obligat illos ad ullam rem, quæ vel Deo, vel proximo aduersetur.

CAPVT XXIX.

Refutantur ineptæ consequentiæ Arnaldi.



Habes ergo Iesuitarum obedientiam, & quomodo Deum amore Dei præsentem in suo Magistratu agnoscant & reuereantur; habes etiam mendacia tua patefacta, assertionesq; temerarias confutatas: at verò collectio, quam deducere vis ex hac obedientia, non minùs est inepta & falsa, quàm assumptio. Faciamus enim Iesuitarum generalem Præpositum, cui sese voto obedientiæ obstringunt, semper esse Hispanum; annè idcirco omnes Hispani erunt? Annè amorem illum patriæ omnibus à natura insitum, momento temporis transferent in regionem & nationem exteram? Siccine vnico temporis puncto affectionem omnium dulcissimam, & in intimis quasi animæ fibris inhærescentem radicitus euellēs? Vlysses magis amabat fumum suæ Ithacæ, quàm Calypsus regnum externum: qui habitant in Pedemontio, præferunt suas casulas Romanis palatiis. Si memoria natalis soli obliterari nequit; quomodo fieri potest, vt quis pietatem illam in patriam & nationem propriam exuat, aliamque mentem & aliquando priorì planè repugnantem induat? Putásne Generalem Iesuitarum esse omnipotentē, vt naturas & constitutiōnes suorum arbitratu suo transmutare possit? Putásne, eū cum subditis suis agere more eorum, qui pecuniam signant, quibus familiare nummos veteres noua inscriptione & imagine insigniendos colliquefacere, & tum denuò cudere?

P

Putásne